4


DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA, DE TUMORIBUS HUMORALIBUS SIMPLICIBUS.

Cujus veritatem Deo duce & auſpice Dei-parâ tueri conabitur, in Auguſtiſſimo Monſpelienſi Apollinis Fano, ab horâ octavâ ad Meridiem, Die Menſis Aprilis Anni 1731. HIERONIMUS SISSAUD, Arauſicanus, Artium Liberalium Magiſter, & jam dudum Medicinæ Studioſus.


PRÆSIDE;

Illuſtriſſimo Viro D. D. ANTONIO MAGNOL, Regis Conſiliario & Medico, nec-non in Almâ Monſpelienſium Medicorum Academiâ Profeſſore Regio digniſſimo, & in Seneſcalli & Præſidiali Curiâ Comite Honorario.

Pro primâ Apollinari Laureâ conſequendâ.



MONSPELII,
Apud JOANNEM MARTEL, Comitiorum Occitaniæ & Univerſitatis, Typographum. 1731.



R. R. D. D.

PROFESSORES REGII.

Illustrissimus D. D. PETRUS CHIRAC, Regi à Secretioribus Consiliis, Archiatrorum Comes.

DISPUTATURI.

R. D. FRANCISCUS CHICOYNEAU, *Cancellarius & Judex.*
R. D. JOANNES BEZAC, *Decanus.*
R. D. ANTONIUS DEIDIER, *Sancti Michaëlis Eques.*
R. D. PETRUS RIDEUX.
R. D. HENRICUS HAGUENOT.
R. D. JACOBUS LAZERME.
R. D. FRANCISCUS CHICOYNEAU, *Filius, Patris Coadjutor.*
R. D. GERARDUS FITZGERALD.

DOCTORES ORDINARII.

M. HUGO GOURRAIGNE.
M. PETRUS FOURNIER.
M. PETRUS GUISARD.
M. ANTONIUS FERREN.
M. ANDREAS CANTWEL.
M. FRANCISCUS IMBERT.
M. CLAUDIUS CHAPTAL.

ILLUSTRISSIMO AC NOBILISSIMO

VIRO D. D.

FRANCISCO CHICOYNEAU,

Regis Consiliario & Medico, nec-non in Almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ Professori Regio Anatomico, Botanico, Cancellario amplissimo, Judici æquissimo, Horti Regii Monspeliensis Præfecto, Regiæ Scientiarum Societatis Socio, & in supremâ Computorum Subsidiorumve Occitaniæ Curiâ Senatori integerrimo.

VIR ILLUSTRISSIME,

Perleves laborum meorum primitias tibi, veluti Numini Medicinæ altero, tremulâ audeo dicare

manu; si enim eas Numinis instar benigno videris oculo, votis major superiorque, dulce mihi decus, secundum studiis jam factis omen, faciundis verò stimulum vividum haud temerè mihi auguror.

Is est enim, VIR ILLUSTRISSIME, in orbe litterato nominis tui splendor, famaque; ut opusculum hocce meum scuto tuo tectum, & consideratiùs habere, & de me feliciter sentire nullus prorsùs dubitaverit. Re quidem verâ præstanter dicere, sapienterve judicare, nùm quisque tantùm paratum se putat, quantùm ad te accedere valet? Quàm sis præterea paterno, uxorioque sanguine clarus, quàm pulchrâ, & quasi divinâ prole clarissimus futurus, ex te verò quantò clarior, ut norunt sic demirantur omnes.

Verùm tot virtutum dives, quàm te facilem, quàm modestum, quàm parùm de te sentientem præbeas! quis te unquàm vidit? quis audivit?

quis adivit? Et admirationi non habuit? Et non amavit? Et conſpectu, ſapientiâque tuâ fruentibus ultrò non invidit? ſanè quidèm cùm de cæteris, tùm præſertim de re medicâ dicens, nùmquid ambiguos tenes animos, utrùm in te medicus oratori, an orator medico præcellat? Eloquentia raró ſe ſic indulget, ut tota contingat, ſatis felix eſt qui in aliquam ejus partem receptus eſt, nudam ſe tibi tradidit, ita ut naturæ, & facundiæ ex æquo alumnus aures penetres, oculos demulceas, animos invadas, triplicique hâc aureâ catenâ audientes tibi pro arbitrio allicere valeas.

Nota dico, notiora dicerem, nempe tuam eximiam ergà pauperes charitatem, cujus præprimis æterno monumento erit ſæviſſimâ nuperrimè peſte flagrans antiqua & nobilis Maſſilienſis Civitas; ſed vetat ſtili inopia, magis ac magis vetat, ipſa, quâ novo fulgore nites, nativa modeſtia.

Accipe igitur, VIR ILLUSTRISSIME, iſtud venerationis in te meæ levidenſe pignus, hoc ipſo te iterùm Deo ſimilem declaraturus, ſi non ex dignitate tuâ æſtimaveris, ſed ex animo ingenuo, ac devoto, quo omni ævo tibi futurus ſum.

VIR ILLUSTRISSIME,

Addictiſſimus & obſequentiſſimus cliens.
H. SISSAUD.

Dabam Monſpelii
die 3ª. Menſis Aprilis
Anni 1731.

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA DE TUMORIBUS SIMPLICIBUS.

TUMOR ſimplex dicitur, cùm præter illa; quæ ei eſſentialia ſunt, pars tumens, nullis aliis afficitur ſymptomatibus: Si quædam alia in eâdem parte affectâ ſimul infeſtent, ut rubor, cum colore albo, mollities, cum duritie, &c. Tumores Compoſiti vocantur, de quibus hic non agitur.

Quatuor ſunt Tumores ſimplices *Phlegmone*, *Eryſipelas*, *Oedema*, & *Scirrhus*: Ut autem horumce Tumorum theoria clariùs pateat, de Tumoribus calidis primùm & in genere diſſeremus; quare in hac Diſſertatione agemus. 1°. De *Tumoribus Calidis* in genere, ſive de *Phlogoſi* & *Inflammatione*. 2°. De *Phlegmone*. 3°. De *Eryſipelate*. 4°. De *Tumoribus Frigidis* in genere. 5°. De *Oedemate*. 6°. De *Scirrho*.

CAPUT I.

De Tumoribus calidis in genere ſeu de Phlogoſi & Inflammatione.

INFLAMMATIO eſt præter naturalis alicujus partis, vel totius corporis calor, rubor, & dolor; ſeu pars aut

totum corpus inflammata dicuntur, cùm dolent, & præter naturam rubent, ac calent.

Inflammationis plures sunt differentiæ. 1°. Inflammata pars plus vel minùs tumet, aut quàm in statu naturali non magis prominet: si pars affecta præter naturam promineat, hæc inflammatio *Systrophica* dicitur, quia tunc, uti vox græca sonat, pars veluti convoluta & nodum efficere videtur. Si partis affectæ magnitudo aucta non appareat, & in illâ nisi rubor dilutus, minor calor, & dolor ferè insensibilis, aut nullus percipiatur, *Phlogosis* vocatur; & uti loquuntur veteres inflammatio sicca. Verùm quia Phlogosis inflammatione ut plurimùm terminatur, & omnis inflammatio à Phlogosi incipiat; ideo *Phlogosis* nihil aliud est, quàm incipiens inflammatio.

2°. Inflammatio universalis est vel particularis. Universalis dicitur, non præcisè quia omnes & singulæ corporis partes inflammatione simùl tentantur; sed quia plures ex partibus superioribus vel inferioribus indiscriminatim, & eodem tempore inflammantur, uti contigit homini 50. circiter annos nato, qui ab aliquot diebus rheumatismo calido laborabat. Si una, aut altera tantùm corporis pars inflammatione correpta sit, inflammatio particularis dicitur: utraque sicca est vel erratica, essentialis vel symptomatica. Tandem particularis aliquandò, universalis verò ferè nunquàm critica est.

3°. Inflammatio interna est, vel externa (nulla enim est pars quæ inflammatione tentari non possit) inflammatio sive interna aut externa sit, pro parte quam afficit, varia nomina sortitur. In hac autem dissertatione de Tumoribus externis, & quæ in partibus mollibus sedem habent, tantùm agere animus est.

4°. Inflammatio est simplex, si alio Tumore non stipetur; vel composita, si alii Tumori naturâ diverso adjuncta sit; tandem est complicata, si cum altero morbo infestet.

Jam ut tota *Phlogosis* & inflammationis theoria clariùs pateat, inquiremus 1°. quænam est earum causa proxima,

2°. A quibus caufis tum antecedentibus, tum procatharticis dependeant. 3°. Ex ftabilitâ causâ proximâ, illarum fymptomata breviter enucleabimus.

Quoad primum. Caufa proxima omnis inflammationis eft hærentia fanguinis in arteriis lymphaticis.

Primò. Inflammationis caufa proxima eft hærentia fanguinis, feu partis rubræ cum parte albâ, ut inflammatio ab *Oedemate* & *Scirrho* diftinguatur, ubi pars alba tantùm ftagnat.

Secundò. In arteriis lymphaticis; Nam etiamfi arteriarum fanguinearum extrema, imprimis in magnâ inflammatione, plufquàm in ftatu naturali, tumeant, attamen illarum arteriarum ultimi proceffus, feu arteriæ lymphaticæ fanguine primùm ingurgitandæ funt.

Nam 1°. cum arteriæ lymphaticæ fanguinearum appendices fint, ipfifque continuæ, & textu, fanguineis, multò debiliores, appellentibus humoribus faciliùs cedunt, & à corporibus ambientibus, faciliùs comprimuntur, & anguftantur; unde humores, fummâ quantitate, vel motu valido propulfos, in illis, priufquàm in arteriis fanguineis, hærere, & ftagnare neceffum eft.

2°. In omni inflammatione pars alba fit rubra, & quæ ex naturâ fuâ rubra erat, non folùm impenfiùs rubefcit; fed etiàm, fi quæ fint in ftatu naturali puncta alba interjecta, primùm rubra videntur; quæque fieri non poffunt, nifi vafa alba, feu arteriæ lymphaticæ rubrâ fanguinis parte infarciantur.

3°. Si inflammatio partium membranacearum, ab hærentiâ fanguinis in illarum arteriis lymphaticis, tanquàm à causâ proximâ, ex omnium confenfu, dependeat (nam partes illæ ex arteriis lymphaticis, quoad majorem partem texuntur) quidni & inflammatio, quâ aliæ corporis partes affici poffunt, ex eâdem causâ non dependeret? hæc ulteriori probatione non indigent.

Quoad fecundum. Sanguis hæret in arteriis lymphaticis,

quia illa vasa angustantur, seu quia obstruuntur, vel comprimuntur, vel astringuntur.

Primò. Obstruuntur, si sanguis quantitate auctâ peccet, vel nimio motu ad ultima arteriarum capillamenta appellat, hinc in arterias lymphaticas vividè impingens, eas magis diducit; auctâ earum diametro, unà cum parte albâ, globuli sanguinei ea vasa subeunt, & ampliato itinere; sanguis continuò affluens vasa illa magis, atque magis ingreditur, ea dilatat, adeòque distendit, ut sese restituere, aut saltem sufficienter contrahi nequeant; unde defficiente, aut summè imminutâ, earundem arteriarum lymphaticarum contractione (nam ab earum motu *Systaltico* humorum motum partim dependere, docet *Physiologia*) sanguis in illis hæret, & stagnat.

Quæcumque ergò humorum quantitatem augere, ut nimia alimentorum *euchimorum* quantitas, evacuationes solitæ suppressæ, maximè si sanguineæ sint, ut Catamenia & Hæmorrhoides, sunt causæ remotæ inflammationum: ita & ea omnia, quæ sanguinis motum intendunt, ut acria & irritantia alimenta, vel liquida spirituosiora, aër calidus, & æstuans, motus, exercitia immodica, vehementiora animi pathemata, ut ira; tandem inflammationem persæpè accersunt omnia irritantia exteriùs admota.

Vasa etiàm obturant sanguis crassus & spissus, modò valido & sufficienti motu propellatur; unde patet, quare in febrium ardentium decursu, partes externæ, & internæ inflammatione aliquotiès corripiantur.

Secundò Arteriæ lymphaticæ comprimuntur corporibus ambientibus, ut ossibus fractis, aut à sede dimotis, liquoribus intrà textum partium effusis, & aliis corporibus infixis aut exteriùs gravantibus, injectis vinculis; ut quisquis experiri poterit si digitum sibi arctè devinciat.

Tertiò. Vasa astringunt omnia irritantia interiùs assumpta, vel exteriùs admota; quare autem ex compressis, vel astrictis vasis, humores appellentes in illis hæreant & stagnent, ex dictis facilè intelligitur.

Quoad tertium. Tria ſunt omnis inflammationis ſymptomata eſſentialia, ſcilicet rubor, calor, & dolor.

Primò. Rubor. Partium color, ab illo, quo tinguntur humores, quibus illarum vaſa replentur, ex omnium *Phyſiologorum* conſenſu, dependet: cum ergò arteriæ lymphaticæ, quæ ſanguinis parti albæ tantùm devehendæ à naturâ deſtinatæ fuerunt, rubrâ etiàm replentur; partes, quæ ex illis texuntur, rubore plus vel minùs perfundi, prout illa vaſa ſanguinis majori, vel minori quantitate infarciuntur, conſequens eſt.

Secundò. Calor. Infarctis arteriis lymphaticis, ſanguinis motus in parte affectâ citò læditur; præpedito enim per obſtructa vaſa humorum circuitu, ſanguis continuò appellens in vaſa vicina irruit, ea, ut potè ſummè dilatata, validè contrahuntur: humores vaſorum contractione preſſi, reſiliunt. Tandem ex mutuâ illâ ſolidorum & fluidorum actione, eorumque repetitis ictibus, pars affecta præter naturam calet.

Tertiò. Dolor. Cum per partem affectam ſanguis liberè non fluat, & illius vaſa appellente ſanguine validè, & inordinatè diſtendantur, fibrillæ nerveæ, ex quibus illa vaſa texuntur, uſque ad animæ ſedem diſtrahendæ ſunt; unde dolor, qui varius eſt, prout fibræ nerveæ craſſiores, aut tenuiores, & plus vel minùs tenſæ percutiuntur.

Præter hæc, pro naturâ inflammationis, illius ſede, ſymptomatum vehementiâ, alia ſymptomata ſuperveniunt; ut febris, dolor capitis, vigiliæ, delirium, motus convulſivi, convulſio, &c.

Primò. Febris multò minùs à vividâ partis affectæ fibrillarum nervearum diſtractione, quâ totum genus nervoſum aliquotiès concutitur, quàm ex accelerato ſanguinis motu verſùs cor, ob præpeditum illius curſum per vaſa anguſtata, dependet. Et certè, ſi validâ nervorum commotione febris induci poſſit, cur vehementibus doloribus Colicis, aut Nephriticis, niſi partes illæ inflammentur, non supervenit? anne quia totum genus nervoſum tunc non ſufficienter commovetur; aut Spiritus Animales debitâ quantitate, &

motu non refluunt, & influunt? in illis tamen gravissimis affectibus, totum corpus motibus Convulsivis quàm sæpè torquetur; anne quia ex inflammatione nervi alio modo concutiuntur, aut Spiritus à parte affectâ refluentes, ad cor debitâ quantitate, motuque convenienti tunc influunt? Hæc supponant, per me non stabit, sed quo fundamento, certè ignoramus.

Quare ergò febris inflammationi ut plurimùm supervenit? Febrem à præpedito aut minus libero sanguinis circuitu in extremis arteriis sanguineis, tanquàm, à causâ proximâ dependet: in inflammatione autem, arteriæ lymphaticæ sanguine infarciuntur; unde illius cursus in vasis vicinis, seu arteriis sanguineis adhuc liberè perficiendus, vel summè retardandus est. Si primùm, nulla est febris. Si secundum, quod contingit, vel quia arteriis lymphaticis sanguine turgidis, arteriæ sanguineæ vicinæ etiàm infarciuntur, vel ab infarctis vasis comprimuntur, aut propter utrumque, sanguis per vias liberiores, seu per vasa quæ à corde minùs distant, ad cor redire tenetur; unde illius cursus acceleratur, cor & arteriæ frequenter dilatantur & contrahuntur, seu febris propter præpeditum sanguinis, per partem inflammatione correptam, circuitum, accenditur; cui inducendæ aut saltem fovendæ, systematis nervosi, propter dolorem vehemens commotio etiàm concurrit: hinc enim vasa sanguinea, cor ipsum validiùs contrahuntur, & sanguis qui ad cor velociùs appellit, majori vi ab ipso corde propellitur.

Quanquam hæc ulteriori probatione non indigerent; attamen, quia hoc nostrum de febribus systema theoreticum, totis viribus aliqui evertere nituntur, rem paulo fusiùs exponere juvat.

1°. *Velocitas sanguinis eâ ratione diminuitur, quâ ramorum numerus augetur..... Velocitas sanguinis in arteriis evanescentibus, utrobique divisionum arteriæ numero, est proportionalis: In iis itaque parvis arteriis, quæ ab Aortâ primùm oriuntur, & post paucas divisiones, in venas, fluida sua transmittunt, sanguinis velocitas non multùm retar-*

datur. Clariss. Keill, Tentam. Med. Physic. Tentam. 2.

2°. Quantitas fluidi, quæ per tubum effluit, proportionalis est, celeritati quâ per illum tubum movetur & fluit.

3°. Cum arteriæ & venæ illis continuæ, sint totidem Syphones, & sanguis per primas arterias, velociùs quàm per subsequentes, moveatur, datâ eâdem vasorum diametro, sanguis per primos Syphones, seu per vasa quæ à corde minus distant, intra idem tempus majori velocitate, quàm per remotiora ad cor refluet.

Præterea supponamus sanguinem, ex corde in omnes aortæ ramos, eâdem vi propelli; verùm, quia effectus virium in breviorem Syphonem, seu in vasa à corde minùs distantia, est ad effectus virium in longiorem, seu in vasa remotiora, ut altitudo longioris Syphonis, est ad altitudinem brevioris; nam illi duo Syphones qui ejusdem diametri supponuntur, sunt inter se, ut eorum altitudines, & virium effectus sunt reciprocè proportionales quantitatibus liquorum, ex hypothesi quod unus Sypho sit altero duplo altior, effluet per breviorem Syphonem, dupla quantitas liquoris quàm per longiorem: Sed si addas sanguinem per breviorem Syphonem, quàm per longiorem majori vi protrudi, ex breviori Syphone non solùm duplo major sanguinis quantitas effluet, sed eò magis, quò sanguis per breviorem, quàm per longiorem majori vi propelletur, seu sanguis eò celeriùs & majori quantitate per venas ad cor refluit, quò arteriæ & venæ quibus devehitur, minùs à corde distant.

His ita præmissis supponamus ex illis Syphonibus, longiores, seu arterias sanguineas à corde remotiores in inflammatione obturari, aut saltem sanguinem in illis liberè non fluere, illas enim, iis, quæ à corde minùs distant, priùs angustari, omnes consentiunt: Dico sanguinem per vasa liberiora majori velocitate, intra idem tempus fluere ad cor, quàm ferebatur per Syphones omnes, seu per omnia vasa dum libera erant; ac proinde, cor tunc frequentiùs dilatatur & contrahitur; seu febris inflammationi adjungitur.

1°. Sanguis velociùs movetur per primos arteriæ ramos,

quàm per ſubſequentes; quia vires cordis ibi validiores ſunt, & velocitas ſanguinis eâ ratione minuitur, quâ ramorum numerus augetur; Ergò ſi vires illæ quæ recendentes à corde continuò imminuuntur, nondùm deperditæ, primis vaſis, ſeu liberis applicentur, debent in ſanguinem, in illis primis vaſis contentum majori vi agere, quàm agebant in ſanguinem, qui in ramis remotioribus continetur.

2°. Vires illæ aliundè majores in ſanguinem in vaſis brevioribus contentum agunt; Ergò ſanguis ille, intra idem tempus multò majori celeritate ad cor propellendus eſt, ſeu ſanguis, remotioribus vaſis ſanguineis anguſtatis, aut per ea liberè non fluens, per vaſa libera majori celeritate ad cor appellet, quàm per omnia vaſa libera ferebatur. 1°. Quià vires, quas ſanguis à corde, & majoribus arteriis accipit, ſanguini per vaſa libera propellendo omnes impenduntur. 2°. Quia vires illæ tunc eò multò majores ſunt, ut nondùm deperditæ, vaſis à corde minùs remotis applicentur; velocitas enim ſanguinis à corde egredientis, eâ ratione imminuitur, quâ ramorum numerus augetur. 3°. Tandem, quia illæ vires brevioribus vaſis admotæ, minores inveniunt reſiſtentias; nam uti demonſtratum eſt ſuperiùs, admotis iiſdem viribus, dupla fluidi quantitas per Syphonem breviorem, quàm per longiorem effluit.

Nec dicant ex accelerato ſanguinis motu per vaſa libera, ſanguinem, qui in venâ cavâ continetur, majori vi & velociùs ad Cor non propelli; Nam cum ſanguis è venâ cavâ in dextram cordis auriculam non ingrediatur; niſi, quia adveniente in venam cavam, ſanguine propellitur. Adauctâ ſanguinis affluentis velocitate, in venâ cavâ recluſus, illi cedere tenetur; ſanguis enim venæ cavæ, cum ſanguine, in quocumque corporis vaſe contento, continuus eſt; qui proinde per vaſa minora velocius fluere non poteſt; niſi, qui in majoribus vaſis, & in venâ cavâ continetur, eodem tempore verſus cor progrediatur: Undè cùm obſtructis vaſis remotioribus, ſanguis per vaſa minùs remota velociùs moveatur, qui in venâ cavâ continetur, majori velocitate in cor influere, neceſſum eſt.

Secundò,

Secundò. Tùm propter vehementes, quibus ægrotantes percelluntur, dolores, tùm propter accensam febrem Meninges & fibræ Medullares Cerebri adeò tenduntur; ut facillimè distrahantur, succutiantur, & commoveantur; undè dolor capitis, si Meninges distrahantur; Vigiliæ, si fibræ Medullares nimiùm tensæ facilè commoveantur. Tandem ægrotantes delirant, si eædem fibræ præter modùm tensæ adeò commoveantur, ut exinde Anima, aliis ideis neglectis, de illis, & pro illis quibus vividè percellitur, tantùm judicet; unde disjungenda conjungit, jungenda separat, seu fit delirium. Tandem fiunt motus Convulsivi, si lympha nervea valido motu, sed interpolato: Convulsio verò, si eodem motu, sed continuo ad musculos influat.

Hæc sunt præcipua symptomata tùm essentialia, tùm accidentalia, quæ inflammationibus partium externarum frequentiùs superveniunt. Inflammationes internæ aliis stipantur; sed hæc non sunt hujus loci.

Inflammatio in *Phlegmonen* aut *Erysipelas* ut plurimùm abit; *Phlegmone* enim & *Erysipelas* sunt veluti inflammationis species. Quare sit.

CAPUT II.

De Phlegmone.

PHLEGMONE est illa inflammationis species in quâ pars affecta plus vel minùs circumscriptè tumet, cùm rubore impenso, calore magno, tensione, & dolore pulsatili.

Si *Phlegmone* circumscriptè promineat, *Phlegmones* nomen retinet; si vero minùs circumscripta sit, Tumor *Phlegmonodes* dicitur.

Phlegmone est essentialis, vel symptomatica, vel critica.

Causæ. Causa proxima *Phlegmones* est hærentia sanguinis

in arteriis lymphaticis, & in ultimis arteriis ſanguineis.

Phlegmone ab iiſdem cauſis internis & externis, ſed majori vi agentibus, quàm in inflammatione & *Eryſipelate*, dependet; quare illis recenſendis ſuperſedemus. Ex adauctâ magis ſanguinis quantitate, aut ſi velociori motu agatur, vel ſi vaſa magis comprimantur, aut aſtringantur, ſanguinem non ſolùm in arteriis lymphaticis, ſed & in ultimis arteriarum ſanguinearum capillamentis, hærere & ſtagnare, nemo non videt.

SYMPTOMATA. Ex aſſignatâ causâ proximâ, tùm eſſentialium, tùm accidentalium *Phlegmones* ſymptomatum theoria facilè deducitur.

1o. In *Phlegmone* non arteriæ tantùm lymphaticæ, ſed etiàm ultimæ arteriæ ſanguineæ plus vel minùs, ſed ſemper multò magis, quàm in inflammatione & *Eryſipelate*, ſanguine infarciuntur; unde *Phlegmonen* plus vel minùs prominere, neceſſum eſt.

2°. *Phlegmone* eſt Tumor plus vel minùs circumſcriptus. Ideò *Eryſipelas* parùm aut nullatenùs prominet; quia, uti dicemus Cap. ſeq. obſtructis tantùm extremis arteriarum lymphaticarum finibus, ſanguis appellens in vaſa vicina ſat facilè irruit, & in illis moram non trahens maximam, ea præter modùm non replet; unde pars affecta in *Eryſipelate* parùm, aut nullatenùs prominet, & ipſum *Eryſipelas* latè expanditur: contrariùm vero in *Phlegmone*, ubi ſanguis non in extremis tantùm arteriis lymphaticis, ſed etiàm ſecundùm earum tractum, imò & in ultimis arteriis ſanguineis hæret & ſtagnat; quare ſanguis appellens vaſa vicina minùs liberè, quàm in *Eryſipelate* adit, ac proinde vaſa primùm infarcta multò magis replentur: ſeu *Phlegmone* plus vel minùs circumſcriptè prominet; quia in vaſis partis affectæ, majori, quàm in partibus ambientibus, quantitate ſanguis colligitur.

3°. *Phlegmone* impensè rubet; in illâ enim non ſolùm arteriæ lymphaticæ, ſed etiàm arteriarum ſanguinearum ultimæ diviſiones ſanguine maximè infarciuntur.

4°. Ex præpedito in *Phlegmone* ſanguinis libero curſu; qui appellit ſanguis vaſa validè dilatat, quibus ſucceſſivè contractis, partis calor intenditur, ac ſummè adaugetur.

5°. Cur *Phlegmone* ſit ſummè tenſa, tactui difficilè cedat, ex illius vaſorum ſummo infarctu deducitur.

6°. Adeſt dolor pulſatilis: Quare in inflammatâ parte dolor perſentiatur, diximus Cap. præced. In *Phlegmone* autem, ille dolor pulſatilis eſt, quia ibi fibræ nerveæ validis & ſucceſſivis arteriarum ictibus, ſeu pulſationibus diſtrahuntur; unde cùm illo dolore eſt judicium rei pulſantis, ſeu dolor pulſatilis adeſt.

Præter hæc alia, ſed accidentalia uti in omni inflammatione, ſymptomata ſuperveniunt, ut febris, delirium &c. de quibus egimus Cap. præced. Ita etiàm ex dictis patet quo mechaniſmo *Phlegmone* eſſentialis, vel ſymptomatica, vel critica induci poſſit.

Diagnosis. Quinque ſunt omnis *Phlegmones* ſymptomata eſſentialia, Tumoris circumſcriptio, rubor impenſus, calor magnus, tenſio, & dolor pulſatilis: His ſignis *Phlegmone* dignoſcitur & à quocumque alio Tumore diſtingui poteſt.

Dignoſces 1°. utrum *Phlegmone* ſit eſſentialis, ſi ab alio morbo non dependeat. 2°. Si ſit ſymptomatica, ab alio affectu inducitur, cujus vehementiam intendit. 3°. Tandem erit critica, ſi cùm bonis ægri rebus promineat.

A quâ causâ dependet, ex præpreſſis, vel ægrotantis, aut adſtantium relatu, facilè dignoſcitur.

Prognosis. *Phlegmone* critica nullum periculum portendit, imprimis ſi perfectè critica ſit; ſymptomatica, ſicuti eſſentialis eò magis vel minùs periculoſa eſt. 1°. Pro numero & vehementiâ ſymptomatum, & pro naturâ morbi à quo dependet; undè in peſte & febribus malignis lethalis, aut ſemper omni periculo plena eſt. 2°. Pro parte quàm afficit; hinc, quæ in partibus carneis, citiùs & feliciùs terminatur, quàm ſi ligamentis, vel tendinibus, vel articulis, vel nervis, aut vaſis majoribus inſideat: quò partes affectæ

sensu exquisitiori donantur, eò *Phlegmone* ibi periculosior est; hæ partes faciliùs divelluntur, undè dolores sæviores, gravissima alia symptomata, & gangræna ipsa superveniunt, aut suppuratio numquàm laudabilis est: ipsa etiàm *Phlegmone* critica in illis partibus periculo non vacat; hinc patet, quare *Phlegmone* internâ, externâ multò periculosior sit.

Parva *Phlegmone* minùs periculosa est, quàm si magna sit; nàm præter quàm quòd resolutione faciliùs terminatur, partes vicinas etiàm minùs lædit; maximè si in parte carneâ sedem habeat.

Meliùs est si *Phlegmone* resolutione, quàm suppuratione terminetur, pejus si in *Scirrhum*, pessimum si in gangrænam, aut sphacelum abeat.

CURATIO. Ad *Phlegmonen*, sicuti alium quemcumque Tumorem in particulari, debellandam, hæc tria agenda habet Medico-Chirurgus. 1°. Præpediat, ne quæ incipit *Phlegmone*, adaugeatur. 2°. Facta tollatur. 3°. Varia symptomata debellentur & mitigentur.

Quoad primum. Præpediet ne quæ incipit *Phlegmone* ulteriùs excrescat; si, remotis omnibus causis internis & externis, humorum quantitatem imminuat, nimiumque eorum motum compescat, eos in partes oppositas divertat, illorumque qualitates corrigat.

Primò. Humorum quantitas imminuatur. 1°. Diætâ tenui; quare si vires permittant (raro non permittunt) ægrotantes jusculis ex juniori pullo gallinaceo, vel carne vitulinâ nutriantur. 2°. Venæ sectione, quæ, si vires non sint exolutæ, aut si febris intensa sit, aut ægrotans plethoricus, quartâ quâlibet horâ instituatur, & sanguis primis vicibus largâ manu emittatur. Uti celeberrimi Medici Monspelienses in Peripneumoniâ, aut quâcumque inflammatione internâ debellandâ feliciter experiuntur.

Secundò. Ad compescendum humorum motum, præter repetitas venæ sectiones, diæta etiam tenuis sit, & refrigerans; undè per omnia *Phlegmones* tempora, tanquàm sum-

mè noxia longè arceantur, Aër calidus & æstuans, alimenta calida, salsa, piperata, liquores ardentes, ipse vini usus, exercitia, & vehementia animi pathemata. Verùm selecto, in quantum fieri poterit, aëre nec calidori, nec frigidiori, æger pro potu utatur ptisanâ ex radicibus acetosæ, graminis, lactucæ, vel decocto hordei : & si magis refrigerare opus fuerit, ptisanæ addatur spiritus sulphuris, aut vitrioli ad gratam aciditatem, aut nitrum purificatum, vel ptisana paretur ex aquâ fontanâ, in quâ limones per taleolas secti infuderint.

Quolibet die, injiciantur Enemata ex decocto emollienti & refrigerante, cum melle violato, vel oleo florum liliorum; sed si magis evacuare animus sit, adde cassiam è cannâ recenter extractam, vel mel mercuriale, aut catholicum.

Horâ matutinâ præscribantur juleppi ex aquis acetosæ, cichorii, endiviæ, lactucæ, nympheæ, aut syrupo de limonibus, violato, capillorum veneris, de granatis acidis, de agresta, de nympheâ.

Horâ serotinâ, emulsiones ex amygdalis dulcibus excorticatis, quatuor semin. frigid. major. cum syrupo violato, vel de capillis veneris.

Tertiò. Humores venæ sectionibus aliò deflectantur; undè si *Phlegmone* ab evacuatione quâdam suppressâ, ut Catameniis, vel Hæmorrhoidibus, vel Hæmorragiâ criticis dependeat; illæ evacuationes remediis convenientibus, etiàm eodem tempore quo *Phlegmone* debellatur, restituendæ sunt.

Quartò. Prava humorum qualitas corrigatur. 1o. Emeticis, si *Phlegmone* ab alimentorum præviâ ingurgitatione, aut pravâ eorum coctione dependeat, vel si nausea infestet, aut æger jam vomat, & sint alia vomitum indicantia. Emetica tutiora sunt vinum, aut tartarum emeticum. 2o. Catharticis, si alimentorum ingurgitatio præcesserit, æger cibos fastidiat, abdomen tumidum pressioni facilè cedat, & absint vomitus signa : illa cathartica non validiora esse oportet, & eò minus quò febris fuerit intentior; quare potiones pa-

gentur ex cassiâ, tamarindis, rhabarbaro, mannâ, syrupo de cichorio vel rosato solutivo, de floribus persicorum; & si magis movere necessum fuerit senna, electuarium de citro, aut diacarthami adjungi poterunt.

Quoad Defensiva, & Repercutientia in ipso etiàm *Phlegmones* principio non conveniunt, nisi contusioni supervenerit: inter quæ laudantur radices bistortæ, pentaphili, tormentillæ, folia plantaginis, centinodiæ, rosæ rubræ, nuces cupressi, sanguis draconis, alumen, bolus armena, terra sigillata, colcothar, oleum rosatum, unguentum de lytargirio, emplastrum de spermate ranarum, ceratum frigidum galeni; quæque sola, vel plura ex illis albumine ovorum subacta, cataplasmatis formâ parti affectæ admoventur.

Quoad secundum. Tùm propter causarum vehementiam, tùm, quia nulla remedia aut malè adhibita, aut parùm proficua fuerint; *Phlegmone* quàm sæpè adaugetur & ad statum pervenit: si hæc contingant, humores stagnantes, aut extravasati à quibus *Phlegmone* dependet, quàm citò resolvendi, aut factâ apertione educendi sunt.

Verùm *Plegmone* resolutione aut suppuratione non semper desinit, *Scirrho* aliquotiès, vel *Gangrænâ* aliquandò, terminatur; aut ità mali moris est, aut ratione suæ sedis tàm gravia accersit symptomata, ut nec resolutio, nec suppuratio tutò, aut numquàm expectandæ sint: quare si *Scirrho* desinat, Tumor tractetur, uti dicemus Cap. 6o. Si *Phlegmone* gangræna superveniat, pars affecta spiritu vini simplici, aut camphorato pluriès foveatur, eaque omnia admoveantur, quæ contra *Gangrænam*, aut *Sphacelum* prodesse usus docuit; sed hæc non sunt hujus loci. Tandem si *Phlegmone* ità partibus vicinis officiat, ut gravia mala immineant aut jam supervenerint; humores stagnantes aut extravasati, factis debitis scarificationibus, citò foràs eliminandi sunt: uti fusè exposuimus ubi de Tumoribus humoralibus in genere: quare hîc tantùm methodum proponam, quâ *Phlegmone* resolutione, aut suppuratione tractanda est.

Quanquam in omni *Phlegmone* pars tensa sit, quæque proinde ut resolutio aut suppuratio perfecta habeatur, remediis convenientibus laxanda est; attamen, quia in omni *Phlegmone*, aut toto illius decursu pars affecta non æqualiter tenditur; ideo, ut resolventia & suppurantia tutò admoveantur, attendat oportet Medico-Chirurgus partis affectæ tensioni, calori, & dolori.

Primò de Resolventibus. Si pars affecta cum calore & dolore maximè tensa sit, omnia resolventia laxantia sint & anodina; inter quæ laudantur radices altheæ, malvæ, liliorum, folia altheæ, branchæ ursinæ, solani, hyosciami, flores liliorum, chamæmeli, meliloti; semina lini, fœni græci, farinæ hordei, fabarum, oroborum, lupinorum, lac, butyrum recens, adeps cervina, porcina, oleum olivarum, liliorum, lini, unguentum de althea, populeum, & id genus plura alia, ex quibus cataplasmata aut fotus parantur.

Tandem si pars *Phlegmone* tentata minùs tensa sit, cùm laxantibus resolventia calida, de quibus agemus Cap. 5°. feliciter permiscentur; nam simùl & debitâ quantitate permixta, sibi mutuas manus præstant: quare vinum tepidum, sicuti cataplasma quod componitur ex vini rubri optimi Lib. III. micæ panis Lib. I. & semis, simùl coctis ad cataplasmatis consistentiam, mirè resolvit in augmento, & in statu; modò pars nec nimis tensa, nec ultramodùm caleat aut doleat, alioquin summè noceret.

Secundò de Suppurationibus. Iisdem remediis quibus Tumores resolvuntur, *Phlegmone* pus persæpè emittit; resolventia enim medicamina suppurationem, suppurantia resolutionem non rarò promovent. Quare ut *Phlegmone* ad laudabilẽ suppurationem perducatur, partis affectæ tensioni, calori, & dolori, attendere necesse est; quæ si maxima fuerint, suppurantia omnia laxantia sint, aut calida cum laxantibus suppurantia majori vel minori quantitate permisceantur, prout pars affecta magis vel minùs tensa est, calet, & dolet.

Ad faciliorem suppurationem promovendam laxantibus, de quibus egimus superiùs, suppurantia adjunguntur, cepæ,

folia acetosæ, limaces contusi, vitellum ovorum, fermentum vetus, unguentum basilicum, ex quibus, & aliis cataplasmata parantur.

Si *Phlegmone* minùs tensa sit, cum laxantibus adde aliqua ex resolventibus calidis.

Dum resolutio, vel suppuratio promovetur, diæta sit tenuis & refrigerans, sanguis mittatur, alvus libera sit, cathartica etiàm & emetica, si indicentur uti diximus superius, præscribantur.

Quoad tertium. Symptomata essentialia, tùm accidentalia remediis internis & externis jam præscriptis, præcaveantur & mitigentur: quare in illis fusiùs exponendis diutiùs non immorabimur. Id unum de febre animadvertendum est; nam etiàmsi tempore suppurationis intendatur, attamen nec ægrotans perterreatur, nec illi placandæ (modo non intensior sit, nec gravissima inducat symptomata) Medico-Chirurgus non incumbat.

Horâ serotinâ ad somnum conciliandum, & dolores placandos, syrupus de papavere albo à Drag. III. ad Drag. VI. in adultis, vel laudani opiatici à gr. semi ad grana II. præscribantur. Tandem quoad motus convulsivos & convulsiones, deliria, & alios capitis affectus, vena in talo tundatur: sed hæc ad morbos internos pertinent.

Factâ suppuratione abscessus aperiatur, ut appositis remediis convenientibus, ad perfectam cicatricem ulcus perduci possit.

CAPUT III.

De Erysipelate.

ERYSIPELAS à colore rosaceo, *rosa*, est Tumor Humoralis inflammatorius, cum colore rosaceo, & calore deurenti.

Erysipelas

Eryſipelas aliud eſt eſſentiale, aliud ſymptomaticum; utrumque eſt inflammationis ſpecies, & in *Phlegmonen* quandòque degenerat; quodque proindè ab hærentiâ ſanguinis in arteriis lymphaticis dependet, ſed quæ multò minor eſt in *Eryſipelate*, quàm in *Phlegmone*: ſeu cauſa proxima *Eryſipelatis*, eſt hærentia ſanguinis in ultimis arteriarum lymphaticarum finibus.

CAUSÆ. Quoad cauſas internas & externas, *Eryſipelas* ſicuti aliæ inflammationis ſpecies, ab iiſdem dependet; eædem enim cauſæ, uti multiplici obſervatione conſtat, modò *Phlegmonen*, modò *Eryſipelas* inferunt, prout magis vel minùs anguſtatis arteriis lymphaticis, ſanguis majori vel minori quantitate, in illis colligitur: quare earum *Ætiologia*, ex iis quæ diximus Cap. 1°. reperi poteſt.

Ex iis colliges, quantùm illi errant, qui omne *Eryſipelas* à præpeditâ perſpiratione tantùm dependere, aſſerunt: & certè nonne externa viſcerum facies, & eorum contextus *Eryſipelate* aliquotiès tentantur? Verùm præpedita perſpiratio *Eryſipelas* ut plurimùm infert, quia hæc evacuationum maxima, aliis ſæpiùs ſupprimitur: cutis aëri & aliis cauſis externis, quàm aliæ corporis partes, magis objicitur; ùnde intelligitur, quare facies & totum caput, aliis corporis partibus, frequentiùs *Eryſipelate* tentantur.

SYMPTOMATA. 1°. *Eryſipelas* eſt Tumor humoralis, inflammatorius, & ſuperficiarius. Sanguine in ultimis tantùm arteriarum lymphaticarum finibus congeſto, qui continuò appellit, curſu ſuo parùm præpedito, vaſa collateralia, utpote quæ libera, ſubit, & pars affecta, quàm in ſtatu naturali non magis, aut parùm tumet: hinc etiàm intelliges, quare *Eryſipelas* inter Tumores, à nonnullis non recenſeatur.

2°. Cum ſanguis in *Eryſipelate* parvâ quantitate congeratur; hinc illius color ad ſummùm roſaceus eſt.

3°. Qui ad partem affectam adit ſanguis, vaſa collateralia ſat facilè ingreditur; undè illius vaſis ſanguine pa-

rùm distentis, *Erysipelas* vel leviter pressum, tactui facilè cedit, & colorem mutat, seu ex rubro fit album; sed quem citò recuperat, tùm quià pressus sanguis partim retrograditur, tùm etiàm quia angustati arteriarum lymphaticarum fines, continuò affluenti sanguini obices ponunt; unde in illis vasis iterùm colligitur, & pars primum ruborem recipit.

4°. A parte in partem *Erysipelas* facilè serpit: vasa sanguine parùm infarcta, tùm vi suâ *Systalticâ*, tùm vasorum vicinorum repetitis ictibus, ab stagnantibus humoribus expediri possunt, quiquè humores si resolvantur *Erysipelas* totum curatur; vel intra majora vasa propulsi, in aliis corporis partibus decumbunt, in illis hærent, aut difficilè moventur, & partes illæ *Erysipelate* afficiuntur.

5°. Cum in parte *Erysipelate* tentatâ, sanguis vasa vicina facilè subeat; quare *Erysipelas* plus vel minùs extendatur, & circumscriptè non tumeat, facilè intelligitur.

6°. In *Erysipelate* calor persentitur; quia vasa magis dilatata, validiùs quàm par est, oscillant: ille calor deurens est, seu cum sensu qui inducitur à corpore deurenti, nimirùm cum sensu doloris acutissimi, quià, angustatis tantùm ultimis arteriarum finibus, appellente sanguine minimæ fibrillæ nerveæ distrahuntur; unde dolor plus vel minùs acutus.

7°. Si *Erysipelas* in externo corporis habitu sedem habeat, calore deurente, corpus mucosum rarefit; humores diruptis suis vasis, expanduntur; tandem, solutis cutim inter & cuticulam vinculis, vesiculæ humore aqueo-lymphatico, mòdò pellucido, mòdò subflavo repletæ elevantur, quæ exsiccatæ in squammas decidunt.

Cur febris, & alia symptomata *Erysipelati* aliquandò superveniant, & quo mechanismo *Erysipelas* symptomaticum inducitur, ex iis quæ huc usque diximus, facilè deduci potest.

Diagnosis. Ex traditâ definitione, *Erysipelas* facilè dignosci potest, & à quocumque alio corporis Tu-

more, levi negotio etiàm diſtingui : Nàm in *Phlegmone* pars affecta tumet, dura eſt & renitens, impensè rubet, & dolor pulſatilis eſt; *Eryſipelas* autem Tumor eſt ſuperficiarius, colore roſaceus, mollis aut tactui parùm reſiſtens, extenſus, ſerpens à parte in partem, cùm calore deurenti.

Utrùm ſit eſſentiale, vel ſymptomaticum, & à quâ causâ dependeat, ex ægrotantis, aut adſtantium relatu, facilè detegi poteſt.

PROGNOSIS. Varia eſt *Eryſipelatis* prognoſis. 1°. Si externas partes occupet, multò minùs periculoſum eſt, quàm cùm internas afficit; unde, ſi ab externis ad internas partes mutatur, malum eſt. *Eryſipelas foràs intrò converti, malum: intùs verò foràs, bonum*. Hipp. Aphor. 25. Sect. 6.

Externum *Eryſipelas* eò magis periculi portendit, quò magis univerſale eſt. Ita etiàm malum eſt, ſi oſſi denudato ſuperveniat. *Ab oſſis denudatione Eryſipelas, malum*. Aphor. 19. Sect. 7.

Malum etiàm eſt, ſi *Eryſipelas* pus emittat. *Eryſipelati ſi ſupervenerit putredo, aut ſuppuratio, malum*. Aphor. 20. Sect. 7.

CURATIO. Veteres Medici à bile tenuiſſimâ, aut ſanguine volatili *Eryſipelas* dependere credebant; juxtà omnes ferè recentiores, perſpiratio præpedita eſt illius cauſa proxima: hinc in tractando *Eryſipelate*, rejectâ, aut parùm uſitatâ ſanguinis miſſione, cathartica & ſudorifica tantùm, & ut totidem ſpecifica habita ſunt. Verùm *Eryſipelas* nec â bile, nec à ſanguine tenui dependet: & quanquàm ob præpeditam perſpirationem perſæpè inducatur, eâque evacuatione reſtitutâ, non raro curetur; indè tamen venæ ſectio, & alia remedia non ſunt abdicanda, neque cathartica atque ſudorifica ſemper & indiſcriminatim præſcribenda. Quare 1°. præcavendum eſt, ne *Eryſipelas* adaugeatur. 2°. Factum tolli oportet. 3°. Symptomata debellanda, aut mitiganda ſunt.

Primò. Præcavetur, ne incipiens *Eryſipelas* adaugeatur, ſi remotis omnibus cauſis, in quantùm fieri poterit, humorum quantitas imminuatur, eorum qualitas corrigatur, tandem humores à parte affectâ avertantur; uti diximus Cap. præced. de Curatione *Phlegmones*.

Quæres utrùm venæ ſectio æquè hic conveniat, ac in *Phlegmone*.

Reſpondeo. Ratione *Eryſipelatis* venæ ſectio, ſaltèm reiterata, non convenit; quià ibi minima eſt ſanguinis in vaſis collectio; at ratione cauſæ à quâ dependet, & vehementiâ ſymptomatum, quæ illud perſæpè concomitantur, aut illi ſuperveniunt, obſervatione & ratione ſuffultus dico, venæ ſectionem æque neceſſariam eſſe, ac in *Phlegmone*. 1°. Ratione cauſæ, ſi *Eryſipelas* ab humorum copiâ, aut illorum rarefactione dependeat, ſanguis mittendus, & venæ ſectio eò ſæpiùs iteranda eſt, quò ſanguinis quantitas magis exuberat, aut illius rarefactio major erit: prætereà *Eryſipelas* ab illis cauſis dependens in *Phlegmonen* perſæpè degenerat, cui præcavendo nil plus confert, quàm repetita ſanguinis miſſio. 2°. Ratione ſymptomatum, ſi febris urgeat, adſint deliria, motus convulſivi, aut ſi ægri doloribus ſæviſſimis torqueantur, ſanguis etiàm pluriès mittatur, & pro parte affectâ alio deducatur: quantùm autem in *Eryſipelate* faciei emolumenti præ ſe ferat venæ ſectio in talo, neminem in praxi vel leviter verſatum, latet.

Quoad Cathartica, Emetica, & Sudorifica non ſolùm contrà *Eryſipelas*, ſed ad alium quemcumque morbum debellandum (modò indicata ſint, & nihil contra indicet) præſcribenda ſunt, eaque iteranda, prout indicatum fuerit: imò etiamſi primo intuitu indicata non videantur; attamen feliciter quàm ſæpè exhibentur; nam præter quàm quòd humorum quantitatem imminuunt, illos etiàm revellunt; inde. 1°. Cathartica ita proficua ſunt in *Eryſipelate* faciei. 2°. Cum *Eryſipelas* à præpeditâ perſpiratione perſæpè dependeat, irritatis catharticorum ope Inteſtinis,

perſpiratio interna adaugetur : partes enim internæ, ſicut externæ indeſinenter perſpirant (uti ex apertione animalium vivorum manifeſtum eſt) unde humorum aqueo-lymphaticorum quantitate imminutâ, & à cute in interiora deductâ, pars *Eryſipelate* tentata à ſanguine ſtagnante faciliùs ſeſe expedit. Verumtamen ſi febris intenſiſſima foret, & ſæviſſimis doloribus ægri torquerentur, totumque corpus ſummè æſtuaret : præterea quòd tunc rarò indicantur, cathartica non ſunt præſcribenda; aut ſi ea præſcribere neceſſum ſit, pro indicationibus urgentioribus, morbi, & illius ſymptomatum intenſione uſurpentur; ſeu ſint plus vel minùs levia, proút febris, & alia ſymptomata leviora fuerint. Ita & emetica, ſi indicentur cautè exhibeantur : de Sudorificis agemus in ſequentibus.

Jam apud omnes in confeſſo eſt, in *Eryſipelate* (maximè ſi in facie ſedem habeat) omnia repercutientia noxia eſſe, niſi *Eryſipelas* à contuſione, & proprio partis affectæ vitio dependeat, uti diximus de *Phlegmone*; & tunc etiàm prudenter admoveantur, ſuo pondere partem gravant, vaſa perſpiratoria aut nimiùm laxant, aut aſtringunt, aut obſtruunt.

Secundò. Si *Eryſipelati* putredo, aut ſuppuratio ſuperveniat malum, inquit Hyppocrates; ſuppurantibus adaucto partis affectæ calore, partium textus ſolvitur, humores in ultimis arteriarum finibus ſtagnantes vaſorum ictus eludunt; unde non laudabilis ſuppuratio, ſed *Sphacelus*, aut partis livor, indolentia, *Phlictenæ* ſe produnt putredinis prænuntiæ : quare vitentur ea omnia, quæ talem ſuppurationem, aut potiùs corruptionem promovere poſſunt; verùm humores ſtagnantes, appoſitis tantùm remediis convenientibus, reſolvantur.

Quæritur utrùm reſolventia exteriùs admovenda, vel interiùs uſurpanda ſint? Cum ſuppuratio in *Eryſipelate* infenſiſſima ſit, & reſolventia ſuppurationem perſæpè promoveant; ideò reſolventibus externis, cautè utendum eſt : præterea partem affectam gravant, illiuſque vaſa compri-

munt; unde *Eryſipelas*, & illius ſymptomata intenduntur: quare ad ſummùm admoveatur vinum rubrum tepidum, cui ſpiritus vini, ſi vaſorum motus magis intendendus ſit, ſimùl permiſceatur: pars decocto florum ſambuci foveatur, vel lacte tepido, in quo flores ſambuci, vel chamæmillæ infuderint. In eundem finem feliciter præſcribitur linimentum ſimplex *Georgii Batei*, quod paratur ex ſucci ſolatri, olei roſat. ana unc. xx. coq. ad ſucci conſumpt. colat. adde Litharg. ceruſæ, ana Lib. I. *M.S.A.* Vel oleum cremoris, Ejuſdem. ℞. corticis interni virid. rec. ſambuci, M. III. cremor. lactis opt. Lib. II. coq. bene donec in oleum effluatur cremor. f. Expreſſ. adde cort. rec. alior. ſambuc. miv. coq. iterùm ad corticis ſiccitatem f. Expreſſio. Vel oleum ranarum, vel unguentum ad *Eryſipelas* quod paratur ex ſapon. com. unc. IV. olei ſambuc. unc. I. M. pars hujus inducta papyro nigræ adhibeatur tepidè locis affectis, renovando bis in die. Sed his omnibus ſummâ prudentiâ utaris.

Id unum annotandum ſupereſt, nos hic de vero & legitimo *Eryſipelate* agere; nàm ſi *Phlegmone* ei adjungatur, quod dignoſces ex partis affectæ adauctâ intumeſcentiâ, reſolventia adhibeantur, prout Tumor plus vel minùs increverit; uti diximus Cap. de Phlegmone.

Cùm ex reſolventibus exteriùs admotis, tanta mala perſæpè immineant; ideò reſolventia interna, maximè ſudorifica, & diaphoretica (uti obſervatione compertum eſt) tutiùs exhibentur; cave tamen, ne humorum motum nimiùm intendant: & ut in illis non decipiaris, febri imprimis attendas; quæ ſi vehementiſſima ſit, omnia remedia volatilia infenſiſſima forent: quare tunc exhibeantur, quæ ſanguinis motum placant, ut emulſiones, julepi, reiterata venæ ſectio, largus hauſtus ptiſanæ quæ paratur ex foliis capil. veneris, floribus papav. rhæad. borag. bugloſ. violar. vel infuſ. fol. Thè, & id genus alia.

Si febris minùs intenſa ſit, & imprimis ſi vires ſint exolutæ, præſcribantur ſola, vel potionum formâ anti-

mon. diaphoret. pulv. viper. salia volat. bezoar Orientale & Occidentale, confect. Alkermes, & illius syrup. confect. hyacinthi, theriaca cùm aquis cordial. cardui bened. ulmariæ &c.

Demùm. Si hæc omnia remedia irrita fuerint, & *Erysipelas* ad suppurationem pervenerit; *Abscessus*, nondùm absolutâ suppuratione, aperiatur; & hæc apertio eò major sit; ut ij Tumores ad suppurationem perfectam raró perveniant, & pars affecta *Gangrænâ*, atque *Sphacelo* persæpè corripiatur; uti contigit Homini cujus totum brachium *Gangrænâ* citò correptùm est, quia suppuratùm *Erysipelas*, quo illa pars laborabat, non sufficienter apertum fuerat.

CAPUT IV.

De Tumoribus Frigidis in genere.

DUO in hoc Capite inquiremus. 1°. Ubinam est Tumorum frigidorum sedes. 2°. A quibus causis illi Tumores dependent.

Quoad primum. De sede Tumorum frigidorum plurimùm dissentitur: Quam-plures *Pathologi* in vasis lymphaticis, alii in peculiaribus cellulis illorum sedem reponunt. Prima *Hypothesis* facilè refellitur; nàm, ut ait Clariss. PITCARNIUS, Dissert. de Circulatione sanguinis, in Animalibus genitis & non genitis; *Si liquidum cui innatant corpuscula solida, fluat per canales quorum latera, vel ad partes motûs, quo cietur ipsum, convergant; vel ab iis divergant, vel sint parallela lineæ motûs; Cæteris paribus, faciliùs & sæpiùs impeditur liquidi motus in canali laterum ad partes motûs convergentium, quàm in vase laterum parallelorum; & faciliùs impeditur idem motus in canali latera habente parallela, quàm in*

canali laterum à partibus motûs divergentium...... Ex quibus sequitur concludit ille in rebus humano-mechanicis versatissimus, *in minimis & nascentibus venis (in quibus scilicet ob differentiam distantiæ à corde minimam, æqualis est sanguinis velocitas; ac in arteriis proximis) minùs facilè, rariùsque multò contingere obstructiones, quàm in evanescentibus arteriis.* Verum cùm vasa lymphatica ductus sint cylindrici, faciliùs impediri liquidi motum in arteriis, quàm in vasis lymphaticis, consequens est.

Nec secunda *Hypothesis* verisimilior videtur; nam undè habent qui illam tueri conantur, vasa lymphatica in illis cellulis aperiri, & in eis lympham deponere, ut per alia vasa resorbeatur. Anne quia membrana cellulosa in obesis, vesiculis pinguedine refertis tota coagmentata apparet? Sed audiant Anatomicorum facilè Principem Clar. RUISCHIUM de *Mezenterii* structurâ adversar. Anatom. Decad. 2ª. N°. IV. *Sunt enim*, ait ille, *extrema hæc vascula (Mezenterii) tormenti instar subtilissimi tenuia, atque tàm innumerabilia, ut totum Mezenterium rubescat penitùs, postquàm ejus vasa, materie ceraceâ rubrâ injectâ, repleta sunt.... Equidem fateor, me non potuisse olìm ità præparare Mezenterium, neque aliud difficilius hâc in arte habetur, quàm materiam ceraceam urgere eò usquè, ut usquè in hæc vascula penetret, & tamèn simùl cavere, ne eadem propellatur ulteriùs; si enim urgetur plùs, postquam huc pervenit, tùm tunica cellulosa Mezenterii penitùs eâdem materiâ repletur; ubi autèm tùm & adhuc ultrà premitur, oritur extravasatio præternaturalis materiæ ceraceæ in formâ globulorum rubrorum..... Sed & pinguedinem per Mezenterium distributam reperio, tàm numerosis ornatam vasculis sanguineis subtilissimis, ut integrè rubescat; postquàm materiâ illâ ceraceâ replevi, deindè arte non vili reddere possum eadem tamen vascula distinctè visibilia: quod quidem artificium inter cætera, eximium est.*

Nos etiam, hoc anno, absque ullâ præparatione, *Epiploon*

Epiploon in cadavere Mulieris 65. circitèr annos natæ, tò tantisque vasculis rubris refertum vidimus, ut integrè rubesceret.

Nonne dantur cellulæ? Et si dentur quænam est illarum structura? Quisnam illarum usus? Ità equidèm reperiuntur sub cute, intra *Peritonæum*, intrà duas *Mezenterii* membranas; sub tunicis intestinorum, arteriarum, viscerum, & in Musculorum facie externâ, in intimoque eorum contextu, & sub membranâ quâ obteguntur; sed quæ nec vesiculam, aut utriculum, membranam aut tunicam peculiarem efformant: nihil enim aliud sunt quàm spatia quædam inter fibras, aut lamellas membranaceas, quæ partes vicinas connectunt, comprehensa. Nàm sicuti ex facie internâ tunicæ exterioris intestinorum, fibræ membranaceæ oriuntur, quæ variè intertextæ sacculos efformant, & deinceps tunicæ carneæ subjectæ inseruntur; ità etiàm & in aliis partibus cellulæ nihil aliud sunt, quàm spatia à fibris, quæ vicinas partes adinvicem connectunt, derelicta & inter se communicantia, quæ, si vis, cellulas vocare poteris, inter quas arteriæ lymphaticæ, seu vasa lymphatica serpunt, & uti dicit Clar. MORGAGNI Advers. Anat. 2. Animadvers. VI. de membranâ adiposâ. *Hæ, seu quædam vincula illis vasis continendis & corroborandis inserviunt.* Nam sicuti hæ fibræ membranaceæ, quæ in intestinis & in arteriis, tunicæ carneæ fibras, & vasa sanguinea quibus texuntur, tantùm substentant, & illa vasa intrà spatia ab illis derelicta non aperiuntur; ità etiàm vasa alba, in illamet interstitia, partem aqueo-lymphaticam non eructant.

Cùm Tumores frigidi nec in vasis lymphaticis, nec in cellulis sedem habeant, ubi ergò eorum sedes? Tumores frigidi vel à collectione partis albæ sanguinis in vasis, vel extrà vasa dependet. Si primùm, in arteriis lymphaticis. Si secundùm, in cellulis, & in ipso partium textu, sedem habent.

1°. In arteriis lymphaticis. Ultimi arteriarum rami,

ſanguinis parti albæ devehendæ in venas, & in vaſa lymphatica *Bartholiniana*, à naturâ facti ſunt, quique ſi parte rubrâ, fit inflammatio, ſi parte tantùm albâ turgeant, fiunt Tumores frigidi, ſcilicet *Oedema*, ſi ille humor aqueo-lymphaticus totam ſuam fluiditatem non deperdiderit; *Scirrhus* verò ſi in corpus durum concreſcat: Tumores enim calidi & frigidi, ubi humores non ſunt extravaſati, ab eorumdem vaſorum ingurgitatione dependent; nam uti demonſtravit Clar. PITCARNIUS. *Faciliùs & ſæpiùs impeditur liquidi motus in canali laterum ad partes motûs convergentium quàm in vaſa laterum parallelorum*; ſeu in evaneſcentibus arteriis, quàm in vaſis lymphaticis, multò faciliùs contingere obſtructiones; arteriæ enim vaſa ſunt conica, lymphatica verò cylindrica. Vide Clar. MORGAGNI Adverſ. Anat. 38. Animad. 2.

Præterea *Hydatides* in *Placentâ*, ubi nulla ſunt vaſa lymphatica generantur. Clar. RUISCHIUS Adverſ. Anatom. Decad. 2â. N°. 2°.

Tandem ſi omnis Tumor frigidus ab humorum extravaſatione dependeret, certè *Oedema* reſolutione non ità facilè deſineret.

2°. In Tumoribus frigidis humores aliquandò extravaſati ſunt, ſeu intrà cellulas & in ipſo partium textu colliguntur. Arteriæ lymphaticæ, ut pote quæ textu ſummè debiles, ab ſtagnante humore ſeroſo-lymphatico magis atque magis laxatæ facilè dilacerantur, & humores, quos continent, effuſi colliguntur; undè hæc à fibris membranaceis ſpatia derelicta, in formâ globulorum pellucidorum intumeſcunt: ſicuti ab injectâ materiâ ceraceâ rubrâ globuli rubri in *Mezenterio* apparent, uti conſtat ex injectionibus D. RUISCHII loco citato. Tandèm effuſi illi humores, uti aër inſufflatus ex unâ in aliam veſiculam, pro partis declivitate decidit, ut videre eſt, in inveteratis *Oedematibus* extremitatum ſuperiorum & inferiorum; ità etiàm in intimo partium textu humores colliguntur; undè totum hepatis *Parenchyma*, ſpongiæ inſtar

æqualiter aliquotiès intumeſcit, ſeroſoſque humores undequàque imbibit. Vide GLISSONII Anatomiam hepatis Cap. VII.

Quoad ſecundum. Cauſa proxima Tumorum frigidorum eſt collectio humoris ſeroſo-lymphatici in arteriis lymphaticis, vel extra ſua vaſa collectio; quique humor ſi ſuam fluiditatem ſervet, & non induruerit, *Oedema* conſtituit; *Scirrhum* verò, ſi in corpus plùs vel minùs durum abierit: nam *Oedema* & *Scirrhus* ab eodem humore dependent.

Sanguinis pars aqueo-lymphatica in arteriis lymphaticis hæret, aut ex illis extravaſata colligitur, ſi vaſa illa, aut venæ ſanguineæ, aut vaſa lymphatica *Bartholiniana* anguſtentur, vel dirumpantur, aut ſi humoris ſeroſo-lymphatici vaſa excretoria, quæ intrà corporis cavitates inhiant, prætermodùm dilatentur.

Primò. Anguſtantur Obſtructione, Compreſſione, Aſtrictione, Relaxatione & Subſidentiâ.

1°. Arteriæ lymphaticæ obſtruuntur, ſi ſanguinis pars alba exuberet, aut qualitate peccet; uti contingit ex uſu alimentorum aquoſiorum, crudorum, largo potu aquarum Mineralium, perſpirationis, urinæ, aut alterius ſeroſi humoris præpeditâ ſecretione.

2°. Sanguinis pars alba in arteriis lymphaticis colligitur, ſi hæc vaſa comprimantur, aut aſtringantur: ſed ut plurimùm à compreſſis venis ſanguineis, & vaſis lymphaticis *Bartholinianis* illa humorum collectio dependet. Undè patet. 1°. Quare dum utero venæ iliacæ comprimuntur, extremitates inferiores in gravidis intumeſcunt. 2°. Cur ex intumeſcentiâ glandularum Axillarium brachia, Inguinalium verò pedes *Oedematoſa* fiunt. 3°. Cur ex arctiori faſciatione, poſt venæ ſectionem, pars intumeſcit.

3°. Arteriæ lymphaticæ laxantur, & ſubſidunt, ex aëre humidiori, nebuloſo, otio, ſomno longiori, mœrore, triſtitiâ, morbis prægreſſis; Indè ſummè debilitato arteriarum lymphaticarum elaterio, ſanguinis pars alba in illis

colligitur: Undè intelliges cur in convalescentibus pedes *Oedematosi* fiant, & post magnas Hæmorrhagias *Oedemata* superveniant.

Secundò. Arteriæ lymphaticæ rumpuntur, aut dilacerantur; tùm à causis externis, tùm etiam ab ipso humore seroso lymphatico, si ad illa vasa nimiâ quantitate appellat.

Tertiò. Vasa excretoria ultramodùm aperiuntur, & per illa maxima fit serosi humoris excretio, si illius humoris reditus per venas sanguineas, aut vasa lymphatica *Bartholiniana* compressione aut astrictione præpediatur; aut si sanguis nimiam in textu partium moram trahat.

Quæres quarè Tumores frigidi per se febrem non accersunt?

Resp. Febris ex vitiato sanguinis circuitu tantùm dependet; in Tumoribus autem frigidis, arteriæ sanguineæ liberæ sunt, undè sanguinis circuitus ad cor, & ex corde ad partes non acceleratur: seu in *Oedemate* nulla fit febris, nisi ex collecto humore aqueo-lymphatico, arteriæ sanguineæ vicinæ angustentur, & in illis sanguinis motus præpediatur, aut summè imminuatur; undè non febris tantùm, sed inflammatio aliquotiès accenditur.

Ex his intelliges, quare *Oedemata* quæ fluxione, quàm illa quæ congestione fiunt, inflammationem & febrem sæpiùs accersant.

CAPUT V.

De Oedemate.

OEDEMA est Tumor albus, laxus, & mollis, frigidus, absquè dolore.

Oedema aliud est essentiale, aliud symptomaticum: utrumque si expansum sit, & non multùm protuberet,

Tumor *Oedematodes* dicitur : *Oedema* verò ; si circumscriptè promineat. Tandem *Oedema* recens est, vel inveteratum.

CAUSÆ. In *Oedemate* sanguinis pars aqueo-lymphatica vel in arteriis lymphaticis, vel extrà illa vasa, vel partìm in vasis, partìm extra vasa colligitur : Undè causa proxima *Oedematis* est humoris aqueo-lymphatici, vel in arteriis lymphaticis, vel extrà hæc vasa collectio. Quænam sint illius collectionis causæ internæ & externæ fusè exposuimus Cap præced. Quare illis iterùm referendis lubentèr supersedemus.

SYMPTOMATA. 1o. *Oedema* est Tumor plus vel minùs prominens ; quia arteriis lymphaticis humore aqueo-lymphatico summè turgidis, aut quià illo humore intrà partium textum, & imprimis in illis spatiis vacuis (quæ cellulas vocant) effuso, pars quæ ex illis vasis texitur, aut sub quâ ille humor colligitur, plus vel minùs tumet.

2o. Ille Tumor albus est ; quia albâ sanguinis parte efformatur : partium color ab humorum, quibus irrorantur, colore dependet.

3o. Laxus est, & mollis. In *Oedemate* vasa minima, serosâ sanguinis parte madida laxari, & mollescere nemo non videt ; undè facilè intelligitur, cur pro variâ illius humoris crassitie, tumor tactui plus vel minùs facilè cedat, & pressus, nisi difficillimè restituatur.

4o. Frigidus est ; Nam præter quàm quòd languida est minimorum vasorum naturalis contractio, eadem vasa, & majora etiàm vicina, albâ sanguinis parte laxata, difficiliùs moventur.

5o. Tandèm in *Oedemate* nullus dolor persentitur, & partis affectæ sensus naturalis summè obtunditur ; quia fibrillæ nerveæ etiàm sero laxatæ, nec distrahi, nec earum distractio ad cerebrum usquè facilè propagari potest.

Cur *Oedema* modò sit universale, modò particulare ; essentiale, vel symptomaticum, ex iis, quæ de Tumoribus in genere, & in particulari, hûc usquè diximus,

haud difficili negotio intelligi poteſt.

DIAGNOSIS. Quinque ſunt omnis *Oedematis* ſigna eſſentialia, quibus dignoſcitur. 1°. Hic Tumor albus eſt; nàm hîc de *Oedemate* exquiſito tantùm loquimur. 2°. Mollis. 3°. Laxus. 4°. Frigidus. 5°. In parte affectâ nullus dolor perſentitur, & ipſius naturalis ſenſus non parùm obtunditur.

An *Oedema* ſit univerſale, vel particulare, eſſentiale, vel ſymptomaticum, recens, aut inveteratum, ex ægrotantium vel adſtantium relatu, & ex prægreſſis, facilè diſtingui poteſt.

Utrùm humores extrà vaſa effuſi ſint, an in ſuis vaſis colligantur, non æquè facilè dignoſcitur. Verùm in vaſis humores adhuc hærere, ſuſpicari poteris; 1°. Si *Oedema* recens ſit. 2°. Si à causâ exteriùs dirumpente non dependeat. 3°. Si reſolventium ope facilè diſcutiatur. Econtra humores extravaſatos eſſe aſſeres. 1°. Si *Oedema* ſit inveteratum. 2°. Si reſolventia omnia inutilia, aut parùm proficua fuerint. 3°. Si humores, pro partis motu, illiuſque declivitate, variè moveantur, & ab uno in alium locum facilè ferantur.

PROGNOSIS. *Oedema* ſymptomaticum, pro naturâ morbi à quo dependet, plus vel minùs periculoſum eſt. Eſſentiale, etſi curatu difficile ſit, per ſe periculum non portendit.

Noxia ſunt *Oedemata* quæ circà Ulcerum labra ſuperveniunt, ſuppurationi obſtant. Tandèm recentia, inveteratis faciliùs curantur.

Reſolutione ut plurimùm, ſuppuratione nunquàm *Oedema* per ſe terminatur: aliquotiès in *Scirrhum*, rariùs in *Gangrænam* degenerat, quod periculoſiſſimum eſt.

CURATIO. *Oedema* duplex eſt, eſſentiale & ſymptomaticum. De ſymptomatico hic non agimus, quod ritè debellari non poteſt, niſi priùs, aut ſaltèm eodem tempore, morbis, à quibus dependet, medeamur.

Oedema, ſicut Tumores inflammatorii, ſua habet tem-

pore, quod proindè, nè augeatur. 1°. Præpediendum est. 2°. Factum citò dissipandum est. 3°. Si quæ sint gravia symptomata, mitiganda, & debellanda sunt.

Quoad primum. Ne *Oedema* incrementum suscipiat, præpediet Medico-Chirurgus; si, remotis causis externis, humoris aqueo-lymphatici quantitatem imminuat, qualitatem corrigat, & partem contrà affluentes humores muniat & firmet.

Primò. In curatione *Oedematis* noxia potiùs, quàm proficua est venæ sectio; quare saltem ratione *Oedematis*, vena nunquam secetur; hinc jam summè debilis sanguinis motus, magis atque magis languesceret. Ideò vel per alvum, vel per cutim, vel per renes, prout indicatum fuerit, humorum quantitas imminuatur, & qualitas corrigatur. Dixi prout indicatum fuerit; nam si *Oedema* à præpeditâ perspiratione, V. G. non dependeret, aut cutis jam non madesceret, vel alia sudorem indicantia non adessent; tunc uti loquuntur, *Diaphoreticis*, aut *Sudorificis* præscriptis, *Surdo canere esset*. Ità & de aliis evacuationibus; Quarè, ne in illis remediis usurpandis Medico-Chirurgus decipiatur, sciscitetur imprimis, num *Oedema* à perspiratione, aut aliâ præpeditâ evacuatione dependeat; an verò sint peculiaria evacuationis signa.

1°. Si à vitiatâ alimentorum coctione inducatur, aut excretionis per alvum signa quædam appareant, cathartica in usum advocet, quæ ibi eò validiora adhibenda sunt, quò partium textus laxior est, qualia sunt senn. Jalap. Mechoac. Turbith. Gumm. Brionia, Elaterium, succ. express. Iris nostratis, cortic. sambuc. Diagryd. Diaphœnic. hiera-picra, confect. hamec. aq. Germanic. quæ nihil aliud est quàm tinctura ex radicum Ireos florentin. & Jalap. partibus æqualibus, spiritu vini extracta.

Verum, quia humores aut crassiores, aut vasa illis expellendis imparia sunt, ideò priùs resolvantur, & attenuantur, ut indè per alvum, cutim, aut renes faciliùs erumpentes, remediorum ope emungantur. Quarè præscripto

Carthartico, varia ex Marte parata, ut croc. mart. vel Tartar. Calyb. sola, vel cum *Catharticis* permixta exhibeantur: quibus ad magis incidendum adde salia absinth. Tamarisc, Mercur. dulc. vel *Æthiop.* mineral. & cynnamom. ad partes laxas aliquatenùs firmandas. Dùm humores inciduntur, *Cathartica* identidem exhibeantur, ut soluti humores per alvum eâ proportione foràs eliminentur.

2o. Si humores per renes effluere videantur, & *Oedema* ab urinæ secretione præpeditâ dependeat, non neglectis *Catharticis*, ad *Diuretica* confugias, talia sunt radic. Ering. Ononid. asparag. Brusc. parieræ bravæ, pimpinel. fol. capil. vener. politric. parietar. sem. paliur. Tartar. vitriol. & id genus alia, quæ jusculorum formâ præscribi possunt. Tandem mille pedes pulverati, & in vino albo soluti contrà *Oedema*, & in *Hydrope* ipso, feliciter adhibentur.

3o. Si *Oedema* à præpeditâ perspiratione (uti plurimùm contingit) inducatur, aut corpus jam madidum fuerit, & sudor immineat, ad *Diaphoretica* & *Sudorifica* citò confugiendum est; qualia sunt radic. salsæparil. schin. Bardan. scorsoner. lign. sasafras, gaïaci & ejusdem cortex. fol. ulmar. scordii, card. benedict. aq. papav. rhæados, scabios. ulmar. bardan. card. benedict. theriaca, diascord. pulv. viper. sal. card. benedict. antimon. diaphoret. Bezoard Orient. & Occident. salia volatil. cranii humani, viper. cùm jusculis, vel vino, vel potionum formâ. Tandem mirè prosunt juscula ex viperis parata, baln. aquar. *Thermalium*, ut *Bellilucanarum* & arenæ maris calidæ.

Dum hæc varia remedia exhibentur, diæta sit exsiccans, & calefaciens; undè ægri acre calido, & sicco, alimentisque ejusdem indolis utantur. Caro assata præstat elixatâ, corpus remotis omnibus curis, & animi sollicitudinibus, absquè defatigatione exerceatur.

Secundò. Veteres in principio *Oedematis*, repellentia frequentèr in usum advocabant; verùm si *Oedema* à proprio partis vitio non dependeat, non minùs noxia sunt

quàm

quàm in Tumoribus calidis ; nam præter quàm quòd vasa aliundè summè laxa comprimunt, repulsâ in magna vasa sanguinis parte aqueo-lymphaticâ, humorum moles adaugetur, illorum qualitas inquinatur, & persæpè totùm pervertitur ; quarè tunc penitùs abdicanda esse, cùm omnibus ferè recentioribus existimamus. Si verò *Oedema* à solo partis vitio inducatur, & foveatur, præter repercutientia, de quibus egimus Cap. 11°. pars affecta fasciis circumvolutis, sed non nimis arctè devinciatur, & hæc etiàm summâ cautelâ adhibeantur.

Quoad secundum. Humor aqueo-lymphaticus in vasis, aut extra vasa collectus educitur. 1°. *Catharticis* vel *Sudorificis*, vel *Diureticis*, prout indicata fuerint. 2°. Resolventibus exteriùs admotis, quæ calida sint ; nam humores aqueo-lymphatici in vasis laxis stagnant : talia sunt omnia medicamina, quæ *Cephalica* vocantur, ut salv. ros. mar. laur. calament. puleg. origan. &c. quibus adde flor. sambuc. chamæmilli, melilot. brioniæ : commendantur emplastra ex radic. cucumer. asinin. calx viva cum axungiâ porci mixta, stercus bubullum, sal ammoniac. urina humana putrida, cineres vitis, genist. sulphur vivum, ex quibus parantur semicupia, fotus, vel cataplasmata. Hosce Tumores Ebuli etiàm mirè discutiunt, si calore tepentes parti affectæ per aliquot dies, manè, seròque applicentur.

Cum *Oedema* per se pus nunquàm emittat ; ideò suppurantia non adhibeantur ; si verò inflammatio ei adjungatur, irritis resolventibus, ad suppurantia confugiendum est : sed hæc ad Tumores compositos pertinent.

Nisi materia penitùs concocta fuerit, *Abscessus* non aperiatur : hi Tumores pus legitimum raró, aut nunquàm emittunt, & *Oedema* nisi intrà longum tempus totum in suppuratum non abit : Quarè *Abscessus* cauteriis potentialibus, quàm ferro non ignito, tutiùs aperiuntur.

Quoad tertium. *Oedema ascitem*, vel *hydropem* pectoris & *anasarcam* aliquandò inducit, aut illorum *prodromus*

est, quorum tractatio ad morbos internos pertinet. Si *Oedemati gangræna* superveniat, ea omnia adhibeantur, quæ partis motum & sensum extinctos exsuscitare poterunt, uti dicetur ubi de *Gangræna*. Tandèm si in *Scirrhum* mutetur, illius cura ex Cap. seq. repetatur.

CAPUT VI.

De Scirrho.

SCIRRHUS est Tumor durus, pressioni non cedens, doloris expers, absque cutis nativi coloris mutatione.

Scirrhus alius est essentialis, alius symptomaticus, recens, vel inveteratus: uterque perfectus, si materia verè indurata sit; imperfectus verò, si summam duritiem nondùm adepta fuerit.

In *Scirrho* pars affecta summè, & sat circumscriptè tumet, vel Tumor superficiarius est: Si primum, *Scirrhi* nomen retinet: Si secundum, Tumor *Scirrhodes* dicitur.

CAUSÆ. *Scirrhi* & Tumoris *Scirrhodes* causa proxima est ut plurimùm albæ sanguinis partis, plus vel minùs concretæ & induratæ in arteriis lymphaticis, vel extra illa vasa major, vel minor collectio.

Dico 1°. Causam proximam *Scirrhi* & Tumoris *Scirrhodes* esse ut plurimùm sanguinis partis albæ, plus vel minùs concretæ collectionem; quia, etsi lac, adeps, & alii humores aliquotiès concrescant; *Scirrhus* ex albâ sanguinis parte induratâ quàm sæpè dependet, uti imprimis observare est in *Scirrhis* symptomaticis.

Dico 2°. In arteriis lymphaticis. Probavimus Cap. 4°. humores in ultimis arteriarium finibus, quàm in vasorum secretoriorum tractu faciliùs hærere; undè, cùm *Scirrhus* ab induratâ sanguinis parte albâ persæpè dependeat, in

illis vaſis potiùs, quàm in aliis colligi, conſequens eſt. Præterea humores extravaſati, multò difficiliùs concreſcere poſſunt. Aliunde poſitâ humorum extravaſatione, *Scirrhi* incrementum difficilè concipitur. Inſuper Tumores inflammatorii in *Scirrhum* quandòque mutantur, aut *Scirrhus* per longum tempus vitiatam tantùm humorum circulationem conſequitur. Verùmtamen humores extra ſua vaſa etiàm concreſcere non diffitemur, ſed exinde peculiares Tumores ut plurimùm excreſcunt, de quibus hic non agitur.

Scirrhus per ſe, ſeu eſſentialis ſenſim & ſine ſenſu fit; qui verò ſymptomaticus eſt, citò, aut intra breve tempus ut plurimùm concreſcit, & induratur; quare inquiremus. 1° Quo mechaniſmo *Scirrhus* eſſentialis. 2°. Symptomaticus efformantur, & quænam ſunt utriuſque cauſæ antecedentes & *procatharticæ*.

Primò. De *Scirrho* eſſentiali. Ut tota *Scirrhi* eſſentialis prima geneſis, & incrementum clariùs pateant; duo etiàm inquirenda ſunt. 1°. Quare ſanguinis pars alba in ſuis vaſis hæreat, & induretur. 2°. Cur induratæ alia continuò adhæreat, etiàm concreſcenda; ita ut *Scirrhus* in immenſam molem aliquotiès excreſcat.

Quoad primum. Sanguinis pars aqueo-lymphatica in arteriis lymphaticis hæret, & ſtagnat, vel ſui vitio, vel eorundem vaſorum defectu, ſeu quia illa vaſa obſtruuntur, vel comprimuntur, vel aſtringuntur, vel laxata fuerint.

Arteriæ lymphaticæ obſtruuntur, ſi lympha quantitate, ſed imprimis qualitate peccet, ſeu ſi craſſior, & ſpiſſior fuerit; unde quæ hanc ſanguinis partem inſpiſſare poterunt, inter remotas *Scirrhi* cauſas meritò recenſentur: qualia ſunt aër calidior, vel frigidior, & ſiccior, alimenta craſſa, coctu difficilia, piperata, acria, calida, liquorum ardentium uſus, vita deſes & otioſa, ſomnus diuturnior, vigiliæ nimiæ, exercitia immodica, atque vehementiora animi pathemata.

De Cauſis vaſorum compreſſionis, aſtrictionis &c. hùc

usque fusè egimus; quàre in illis iterùm exponendis, non immorabimur.

Quoad secundum. *Scirrhi* initia parva sunt, à veluti granulo incipit; ergò lympham in principio *Scirrhi* parvâ quantitate colligi, consequens est: minima hæc lymphæ quantitas vasorum, maximè vicinorum, repetitis ictibus; dissipata illius parte aquosiori, aut tota validè pressa, concrescit & induratur; hinc primum *Scirrhi* exordium. Verùm, quia per circulationis leges alba sanguinis pars ad vasa jam obstructa indesinenter appellit, & ultrà non progrediens in illis hærere tenetur; vasa vicina quoque obstruuntur, lympha hæc undique pressa etiàm concrescit, & *Scirrhi* moles plus vel minùs adaugetur, & induratur, quò lympha majori vel minori quantitate hærens, plus vel minùs premitur & densatur.

Ex dictis facilè intelliges; cur alii humores, vel in vasis, ut lac in mammis, bilis in hepate, humor bronchialis in textu pulmonum, & asperæ arteriæ tractu, adeps ipsa in vasis pinguiferis &c. vel extrà vasa effusi concrescere & *Scirrhum* efformare poterunt.

Secundò. De *Scirrho* symptomatico. Hæc *Scirrhi* species morbos chronicos sequitur, aut Tumores inflammatorii in hunc morbum degenerant.

1°. Toto morborum chronicorum tempore, humorum, maximè albæ sanguinis partis motus in intimo partium, viscerumque imprimis, contextu summè retardatur. Qui in eorum arteriis lymphaticis humores hærent & stagnant, repetitis & diuturnis vasorum vicinorum motibus densati concrescunt, & indurantur, seu *Scirrhus* in illis partibus progignitur. Præterea viscera obstructa, aut *Scirrho* jam tentata, suâ mole, & pondere lymphæ motum in partibus vicinis remorantur; unde *Oedema* vel *Scirrhus* in illis quoque partibus generatur.

2°. Tum vi ipsius inflammationis, tum ob remedia calidiora exteriùs admota, Tumores inflammatorii in *Scirrhum* aliquotiès mutantur; hinc enim partis affectæ vasis

nimiùm oſcillantibus, ſi humores non reſolvantur, globuli ſanguinei atteruntur & tenuiores facti, atque diſperſi vaſa ſanguinea vicina ſubeunt, aut cum parte albâ intimè permixti unum corpus, plus vel minùs album componunt, quodque magis vel minùs indureſcit, quò vaſorum repetitis contractionibus humores illi plus vel minùs denſantur.

Symptomata. In *Scirrho* vaſa ſanguinis parte albâ induratâ replentur; unde 1°. *Scirrhus* durus eſt. 2°. Preſſioni non cedit. 3°. Eſt doloris expers. Nam 1°. ſi *Scirrhus* ſenſim & ſine ſenſu concreſcat, ſanguis appellens per vaſa vicina liberè progreditur. 2°. Vaſa induratâ materiâ infarcta, ut totidem corpora ſolida commoveri, atque fibræ nerveæ præternaturam diſtrahi nequeunt. 3°. Ex eo ipſo, quod ſanguinis motus in vaſis vicinis liber ſit, & cutis ut plurimùm intacta; cur cutis, quâ *Scirrhus* exteriùs obtegitur, colorem ſervet, & pili in illâ excreſcant, facilè deducitur.

Prout humores magis vel minùs induruerint, & Tumor plus vel minùs prominet, *Scirrhus* perfectus eſt, vel imperfectus, prominens vel ſuperficiarius; ſed hæc ulteriori explicatione non indigent.

Diagnosis. *Scirrhum* ſimplicem & perfectum dignoſces; ſi Tumor durus ſit, abſque dolore preſſioni reſiſtat, & ſi cutis, quâ obtegitur, colorem naturalem non mutaverit. Imperfectus tactui minùs reſiſtit. Tandem in Tumore *Scirrhode* pars minùs, quàm in *Scirrho* prominet.

Utrùm recens ſit, an inveteratus ex duritie, ſed imprimis ex ægrotantis relatu, facilè diſtingues. Item *Scirrhus* eſſentialis, & ſymptomaticus ex prægreſſis dignoſcuntur; & ab invicem diſtingui poſſunt.

Scirrhus 1°. ab *Oedemate* diſtinguitur duritie, & quià tactui non cedit. 2°. A *Cancro* quia eſt doloris expers. 3°. A Tumoribus in *Cyſtide* recluſis, hi digitis facilè cedunt, & ad latera moveri perſentiuntur; *Scirrhus* autem partibus affixus hæret. 4°. A Tumoribus inflammatoriis, rubore, calore, & dolore.

Prognosis. Omnis *Scirrhus* difficilè curatur: *Scirrhi* enim incipientis curatio, nisi intra longum tempus absolvitur, & inveteratus ut plurimùm incurabilis est; aut si non debitè tractetur, in *Cancrum* degenerat.

Pessimum est, si *Scirrhus* dolere incipiat; in *Cancrum* mutatur.

Scirrhus multò periculosior est in partibus membranaceis, tendineis, nerveis, articulis, quàm si in parte carneâ fiat.

Scirrhus difficilè resolvitur; cum in suppurationem vertitur, periculum est, ne Tumor *Carcinodes* evadat.

Curatio. In ipso *Scirrhi* principio, humores duri & concreti sunt; unde *Repercutientia* eò magis nocent, quòd illorum usu materia magis densatur, & compingitur: Ità etiàm & venæ sectio inutilis est; nisi æger sit plethoricus, & ut remedium universale præmitatur, vel sanguinem in partes opositas divertere oporteat, vel *Scirrhus* ab aliquâ sanguineâ evacuatione, ut catameniis, vel hæmorrhoidum criticarum fluxu, suppressis dependeat: sanguini divertendo, & illis evacuationibus restituendis, sanguinis missionem in partibus vicinis vel remotis, prout indicatum fuerit, plurimùm conferre experientia quotidiana docet. Sed hæc non sunt hujus loci.

Cum *Scirrhus* ad resolutionem perfectam difficilè perducatur; & si in suppurationem vertat, in *Cancrum* quàm sæpè mutetur. Ideo à remediis internis, si quæ sit, curationis spes tota ferè expectanda est; quæque, nisi prudenter adhibeantur, malum etiàm adaugent intenduntque; quare, remotis causis externis, æger alimentis boni succi & coctu facilibus, humidis potiùs, quàm siccis nutriatur; aër sit temperatus; atque in aliis rebus non-naturalibus ritè se habeat. Tandem impacti humores priùs diluantur, deinceps attenuentur, ut fluidiores facti remediis appositis foràs eliminentur.

Itaque misso sanguine è brachio (hic loquor de *Scirrho* essentiali) *Catharticum* non ex *Mochlicis*, ut veteri-

bus, & recentioribus quibusdam placet; sed ex mitioribus purgantibus, maximè si *Scirrhi* materia summè indurata sit, concinnetur: Et certè nonne *Catharticis* validioribus humorum motus maximè intenditur, & serosis humoribus nimiâ quantitate emunctis, vasa arescunt, & qui in vasis humores restitant, crassescunt, & spissescunt; unde *Scirrhum* magis indurescere, necessum est: quare tanquàm noxia in *Scirrho* debellando helleborum nigrum, elaterium, confectionem hamech, & id genus alia rejicimus: senna etiàm tutò non præscribitur; nisi evacuandi necessitas maxima sit, & humores *Catharticis* facilè cedere, jam perspectum habeamus. Ergò ea tantùm *Cathartica* adhibeantur, quæ minori vi agunt, qualia sunt, quæ in curatione *Phlegmones* recensuimus. Tandem *Cathartica* magis, vel minùs valida in usum advocentur, in quantùm Tumor plus vel minus durus fuerit.

Præscripto *Cathartico*, æger per novem dies, horâ matutinâ capiat juscula, quæ ex juniori pullo gallinaceo, quatuor sem. frig. maj. oryzâ, vel hordeo, fol. borrag. cichor. endiv. lactuc. parentur. die decimo, ut in principio, potionem *Catharticam* hauriat.

Si iisce remediis *Scirrhus* remollescat, alia juscula ex incidentibus, vel unà cum diluentibus, prout *Scirrhus* plus vel minùs durus fuerit, parata præscribantur. Incidentia sunt radices asparagi, brusci, &c. de quibus in Cap. de *Oedemate*. In ollâ, in quâ hæc juscula conficiuntur, noduli duo, ex ferro rore maïal. parato uno, altero rhabarbaro leviter contuso, toto ebullitionis tempore, suspendantur.

Finito jusculorum usu, aut citiùs, si indicatum fuerit, *Catharticum* ex sennâ, rhabarbaro, mannâ, aut validioribus purgantibus, prout necessùm fuerit, præscribantur.

Cùm inter incidentia nullum adhuc ferro, tutiùs & certiùs inventum fuerit; ægrotantes ad illud tanquam ad sacram anchoram, quàm primùm confugiant: verùm, quià ferro humores validè commoventur, solidaque disten-

duntur, in illo exhibendo prudentèr etiàm se gerat Medico-Chirurgus : ut autem in illis non decipiatur, & ex ferri usu ægri solamen percipiant, 1°. parvâ dosi seu ad grana septem aut octo primis diebus exhibeatur, sensim adaugendo ad gr. xx. prout ægri ex illius usu meliùs se habuerint. 2°. Partitis dosibus per menses integros hoc medicamine uti oportet.

Si humores magis incidere necesse sit, sal ammoniacum, vel borax cum marte simùl permisceas. Ex iis quæ diximus de *Scirrho* essentiali, quâ methodo symptomaticus tractandus sit, facilè intelligitur; sed de iis alibi fusè egimus.

In admovendis remediis externis, non minùs prudenter se gerere oportet : malè adhibita, internis multò magis nocent : quare nec resolventia humidiora applicentur, nè pars affecta nimiùm laxetur; unde *Scirrhus* in *Cancrum* persæpè degenerat. Nec resolventia calidiora sint, humores prætermodùm commovent, & vasa maximè distendunt; unde inflammatio, & *Gangræna* ipsa aliquandò superveniunt; ideò felicissimi practici calida cum frigidis resolventibus permixta admovent. Præter resolventia frigida & calida de quibus egimus Cap. 2°. & 3°. in usum adhibentur radices hellebori nigri, brioniæ, cicuta, hyosciamus, adeps gallinæ, anseris, ursi, axungia hominis, oleum lumbicorum, laurinum, gummi ammoniac. galbanum, bdellium, opoponax, emplastrum de vigo; de sulphure, diabotanum, de cicuta. Civis Monspeliensis nomine RICHARD, qui à pluribus annis *Scirrho* lienis laborabat (lien autem tantam molem adeptus fuerat, ut totam abdominis cavitatem replere videretur) nullo alio, præter emplastrum de cicutâ, adhibito remedio intra duos menses resolutione externâ sanatus fuit.

Nisi Tumor iisce remediis exteriùs admotis, intra aliquod tempus resolvi incipiat, ab omnibus abstinere tutiùs est; Nam cancer aut suppuratio imperfecta fere semper subsequuntur : verùm si *Scirrhus* pus emittere videatur, suppurantia

ſuppurantia de quibus jam egimus ſummâ quoque prudentiâ admoveantur.

Abſceſſus, niſi ſuppuratio abſoluta ſit, quæ tardè & quàm ſæpè imperfectè perficitur, non aperiatur; hæc autem apertio, modò tumor jam *Carcinodes* non ſit, cauteriis potentialibus, ſeu lapide cauſtico fiat, alioquin ferro non ignito aperire tutiùs foret. Alii, neglectis aliis remediis, aut quia parùm proficua fuere, *Schirrhum* forcipibus, vel ſcalpello evellere ſuadent; at quia hic Tumor altas radices egit, niſi difficile & imperfectè evellitur: præthereà exinde mala ipſo *Scirrho* graviora ſubſequuntur; quare hanc methodum ut inutilem & parùm tutam rejicimus.

FINIS.

ERRATA.

PAg. 2. *lin.* 13. incipiat, *leg.* incipit. *Ibidem*, *lin.* 23. ficca, *leg.* fixa. *Pag.* 4. *lin.* 15. augere, *leg.* augere valent. *Ibid. lin.* 24. obturant, *leg.* obturat. *Pag.* 14. *lin.* 10. colcothar, *leg.* colchotar. *Ibid.* lytargirio, *leg.* lithargyro. *Pag.* 15. *lin.* 26. de Suppurationibus, *leg.* de Suppurantibus. *Pag.* 16. *lin.* 28. inflammatorius, *leg.* inflammatorius, ſuperficiarius. *Pag.* 21. *lin.* 13. leviora, *leg.* ſæviora. *Pag.* 24. *lin.* 18. tormenti, *leg.* tomenti. *Pag.* 25. *lin.* 20. ſeu vaſa, *leg.* & vaſa. *Ibid. lin.* 26. ſubſtentant, *leg.* ſuſtentant. *Pag.* 26. *lin.* 15. anat. 38. animad. 2. *leg.* anat. 2. animad. 38.